

sive dare aliquod opus ad habendum decimas salinarum communis Tergesti, nec eas in feudum aliqua occasione recipere, et hoc sub pena quinquaginta libr. par., et talis investitio sit cassa, et si aliquis dederit auxilium alicui habenti dictas decimas in feudo, ad optinendum eas, cadat ad penam libr. centum par. 5

Cap. C. De ruffianis meretricibus et burdellis ac stupa. R.ca.

De roffianis volumus providere et super ipsis sic duximus statuendum, quod nullus civis vel habitator Tergesti vel forensis sit ausus esse rufianus alicuius meretricis, neque tenere burdellum sive postribulum, vel habitationem aliquam habere vel tenere in aliquo postribolo, sub pena vigintiquinque libr. par. pro quolibet contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Et nulla persona sit ausa tenere burdellum publicum in aliqua parte civitatis Tergesti, preterquam post palacium comunis, et hoc sub dicta pena libr. vigintiquinque par. pro qualibet persona contrafatiente, sed post palacium comunis quelibet persona possit tenere postribulum et burdellum in domibus sub voltis comunis sine aliqua pena. ¶ Et nulle ruffiane vel meretrices sint ause modo aliquo tenere aliquem hominem in domibus suis sive postribulis de nocte post // cochos usque ad tintanabulum diei, sub pena decem libr. par. pro qualibet contrafatiente. ¶ Et nullus homo sit ausus modo aliquo de nocte post cochos intrare stare vel dormire in dictis postribulis usque ad tintanabulum diei, sub pena decem libr. par. pro quolibet contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Item etiam nulla persona regens sive tenens¹⁾ stupam in civitate Tergesti sit ausa tenere aliquam mulierem meretricem publicam de die vel de nocte in dicta stupa, nec etiam aliquem hominem post zochos in ipsa stupa usque ad canpanam diei, sub pena vigintiquinque libr. par. ¶ Item quod nulle ruffiane sive meretrices publice sint ause modo aliquo intrare in civi-

¹⁾ Aggiunta marginale.